PETRI PAVLLI QVINTAVALLIS CAMPLENSIS.

ORATIO

Habita Bononiæ Die XII. Nouembris.

CIↃ IↃ XXCVI.



BONONIAE, Apud Io. Roſſium. MDLXXXVI.

Curiæ Archiepiſc. & S. Inquiſ. conceſſu.

AD GABRIELEM PALAEOTVM
Cardinalem & Bononiæ Archiepiſc.
Iulius Signius.

FElsineae Gabriel Patriæ
Pater optime, noſtri
Præſidium, columen, præcipuumq; decus,
Quas tibi primitias operum, votiua tributa,
Fert Quintaualius, ſumere ne pigeat,
Explicat hic adeo culte præconia legum,
Mureti, vt quiuis iuret, alumnus erat.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
D. D. GABRIELI PALAEOTO
S. R. E. CARDINALI BONONIAE Primo Archiepiſcopo, & Principi Clementiſſimo.

Petrus Paullus Quintauallis Camplenſis. S. P. D.

APELLES ille Cous, quicum, in arte pingendi neminem, excellẽtiſs. quamuis, priſca vetuſtas cõferendũ cenſuit; cõſueuiſſe fertur ea opera, quibus ſupremã manũ impoſuiſſet, in apertum proferre, & in pergula exponere, quò tranſeuntibus illàc cernendi, iudicandiq́; libera eſſet poteſtas: ipſe autem poſt pictas tabulas latitans, ſiqua uitia notarentur, ſiue obijcerentur, ſolertiſſime auſcultabat, vt poſt modum illa, nouis lineis inductis, penicillo abſtergeret, & emẽdaret, ratus plus vulgi, quàm ſui ipſius iudicio eſſe tribuendum. Ad eundem modum ego AMPLISSIME PRAESVL, cum, exactis diebus, pro impetrato munere Iura publice profitendi Vniuerſitatis nomine, in florentiſſima Aca-

demia Bonon. oratiunculam habuiſſem, quotidia nis verbis, ac plebeio ſermone contextam; eam ty pis committere, & in lucem prodire volui, non ho minum rumuſculos aucupandi, neque ingenij, aut facundiæ oſtentandę cupidus (nā non ſum neſcius meæ tenuitatis, & perquam exiguæ, vel potius nullius eruditionis) ſed vt in re litteraria periculum fa cerem; ſic.n. quanti mea opuſcula apud alios forent, haud dubie intellexiſſem. Quòd ſi docti Viri iudicauerint me huc vſq; in ſtudijs bene, & gnauiter operam poſuiſſe, alacrius ſane vlterius pergam, ſin minus (veluti alter Apelles) errata lubentiſsime corrigam. Tua vero ſummæ integritatis fama, om nigenę doctrinæ gloria, conſpicuæ probitatis opinio, eximiaq; in ſtudioſos propenſio fecit, vt Am plitudini Tuæ hos qualeſcunq; præmaturos labores inſcriberem: præſertim, cum iamdiu optauerim meā, erga Te, ſingularē obſeruantiā, & reuerentiā apud omnes, quoquo pacto teſtatā relinquere. Ac cipies igitur benigne (vt ſoles) rē tantulā, quæ etſi il lius perſonæ, quam ſuſtines, dignitatem minime adæquet; mihi tamen ad exprimendam animi mei in Te, imaginē, aptiſsima, & cōmodiſſima viſa eſt. Vale. ex Aedibus lignanis. XIV. Kalendas Decēb. CIↃ.IↃ.XXCVI. Bononiæ.

Equi-

ORATIO.

EQVIDEM, Viri Perilluſtres, Auditores Ornatiſſimi, & ſi hoc mihi perſuaſum erat, debere me, in mearum lectionum auſpicijs, aliquid ex hoc ſuperiori loco dicere, inquem me humiliter extraordinariam legendi prouinciam depoſcentem Ampliſs. Bonon. Senatus incomparabilis, erga ſtudioſus, beneficentia, & incredibilis compulit benignitas; tùm ne inueteratam conſuetudinem apud me, obſoleſcere paterer, & ab aliorum inſtituto recederem, quos ita ſingulis annis factitaſſe compertũ eſt; tùm etiam, ne illorum, imperium detrectarem, qui de me totties optime meriti ſunt. Tamẽ multa mihi ſeſe obiectabant, meoſque ante oculos obuerſabantur, quorum magnitudini nõ modo, non obtuſa ingenioli mei acies, exiliſque admodum, & incompta oratio ſatisfacere valeat; ſed nec Iſocratis, Demoſthenis, aut Ciceronis alicuius (ſiquis eos ab inferis excitaret) uberrima copia, copioſiſſima facundia, facundiſſima eloquẽtia ſingula percenſere numerando, nedum quicquam exornare dicendo poſſe uideatur. Quæ nimirum mecum in animo voluẽs, quin vehementer pertimeſcam, facere nequeo. Præſertim cum loci dignitas, Nobiliſſimi conſeſſus grauitas, & auctoritas, res de quibus ſum acturus, ac demum temporis anguſtia maximas mihi hodie ad dicendum difficultates afferant. Etenim ſi ad locum reſpicias, Bononiæ dicimus, quæ Ciuitas quantum inter primores Italiæ Ciuitates hac noſtra ætate floreat, et excellat: & ſemper olim belli, paciſq; præſidijs, & ornamentis omnibus redundarit, omnino qui ignoret, non facile reperias. Si hanc doctiſſimorum, & grauiſſimorum Virorũ coronam intueor, eò me deductum eſſe video, vt in præſentiarum verendum ſit, ne aut veſtras acutiſſimas, & erudiſiſſimas aures imperite, & inornate dicendo offendam, aut (quod

 omen

omen deus auertat) medicentem turpiter deſtituat oratio: vti quondam Theophraſto apud Athenienſē Pop. Heraclito lycio ſophiſtæ, coram Seuero Principe, aliſque ſummis oratoribus accidiſſe cùm græcis, tum latinis monumentis proditum eſt. Si ad ea me conuerto, è quibus noſtræ orationis enaſcetur argumentum, tàm latum mihi ad dicendum campum patere intelligo, vt, etiam ſi eloquentiſsimus eſſem (quod in me profectò non agnoſco) vix multis menſibus, aut annis, ne dicam vno die, aut hora, aptè quippiam eloquerer, aut abundè diſſererem. Rurſus ſi temporis anguſtiam conſidero, longe ſane imparatior huc acceſsi, quàm par, atque æquum fuiſſet: Nam mihi alijs, atque alijs curis implicito vix octo dierum ſpatiū datum eſt, qua de re, ipſe inprimis, & veſtrum aliquis optimus eſt teſtis. Quid igitur agam, vbi omnem mihi ad meditandum induſtriam, & diligentiam temporis anguſtijs interceptam, & ablatam eſſe ſentio? Num ſuggeſti huius dignitati, Aſtantium expectationi, tantarum rerum magnitudini deſim? mihi ne ipſe ſim iniurius, atque erubeſcendus? Num ſuſcepto oneri me ſubtraham? Nihil minus, ſed valentes, & Magnanimos Imperatores imitabor, qui, in repentinis prælijs, quādo hoſtes, aut per inſidias, ex abditis emergunt, & erūpūt, aut à tergo, dextraue, ſiniſtraue manu, ſtrictis armis, inexpectati celeriter inclamātes accurrunt, & inuadūt; quanquā potiori cōſilio eo puncto deſtituti, acies ex inopina occaſione diſponunt, & inimicorum turbini obijciunt: ſuos tamen protinus, quàm poſſunt arctiſsime, in vnum cogunt. Ita ego cum primum cognoui, mihi non eſſe integrum, abſque probro, & infamia à dicendo refugere, meipſum in breuem quendam veluti orbem collegi, & quæ multa dicenda erant, in pauca conieci. obſecro Vos, & pro veſtra humanitate, obteſtor, veſtro ſilentio, & attentione, mihi faueatis, quod licet nihil perfectum ingenio, elaboratum induſtria, & vobis dignum, me huc allaturum ſperem: tamen mihi, ad maiora inpoſterum præſtanda animos addideritis, eoque nomine per-

ex perpetuò me in veſtro ære futurum polliceor.

Princeps ille Deus omnium rerum, & ipſius naturæ auctor, cuius ditione, ac numine cuncta geruntur, & reguntur, vt a veteribus philoſophis crebro fuit vſurpatum, ſpectabile hoc Animal, prouidum, ſagax, rationis capax, corpore, & animo conſtans, quem Hominem appellant, ad intelligendum, & agendū creauit. Quod vt facere, & præſtare poſſet, illi Diuinitatis igniculos, & virtutum ſemina quædam indidit, quibus tanquam ſibi ingenitis calcaribus naturaliter concitaretur, & ſtimularetur. Corporis aptam, & habilem figuram dedit, ſenſus exteriores quinque, totidem interiores, ceu nuncios rerum, interpretes, & administras attribuit. Ingenium multiiugum addidit, ſciendi cupiditatem iniecit, mentis alacritatem, mentique adiunxit rationem, quæ vna nos a belluis maxime ſecernit, & qua duce, ex præteritis præſentia exiſtimamus, ex præſentibus futura conijcimus, certoque ordine, & modo omnia metimur, & moderamur, & in ſumma totius vitæ curſum, & ſtatum facile perſpicimus. Et cum cæteras animantes ſermonis, rationis, & æquitatis expertes ad paſtum abieciſſet, vt lepidiſsime canit Pelignus vates, ſolum Hominem ſublimi, erectoque ore cælum conſpicere iuſsit, vnde ſibi origo eſſet, & quò demum ipſe redire deberet, ſicuti ad proprium domicilium. Eundemque terram non quaſi perennes ſedes, habitare, & incolere voluit: ſed ex ea ſuperas & cæleſtes res ſpectare, illarumque opificem contemplari. Et cum ipſam terram animantibus fruges, ac fructus, ad vitam ſuſtentandam ſuppeditare voluerit, animantes ipſas homini vſui eſſe: vt equum vehendi cauſſa, arandi bouem, venandi, & cuſtodiendi canem, ipſum Hominem aliorum hominum gratia, vt alter alteri prodeſſet effecit. At ne mortales, dum vitam degunt, laborem deuitarent, ocio torpeſcerent, & voluptatibus ſe manciparent, ſed aliqua in re laudabili corpus, vel animum pro virili exercerent, & excolerent: varias artes, multiplices

ſcientias, diuerſa propoſuit ſtudia, in quibus, vt quiſque eſſet affectus ſinguli uerſarentur. o admirabile opificium. o inexplicabilem. & incomprehenſibilem præpotentis Dei prouidentiã, o rem certe grandem, atque omnium admiratione dignam. Hinc fit (Aud.) quòd alios alia iuuant, & delectant, & quemadmodum homines facie plurimum differunt, ſic etiam ſtudiorum diuerſitate, ac diſsimilitudine. Quod ſiquis non ſatis clarum, & perſpectum habet, in ipſam, quæ in nobis eſt, naturam, veluti in limpidiſsimum, & lucidiſſimum ſpeculum, mentis aciem intendat, illic quippe intuebitur, illam non eandem eſſe in omnibus; neque longius abeſt exemplum. Enimuero hic dulcia amat, acria, & acerba apetit ille. Multos luxuria diffluere, & deperire, complures iracundia, & excandeſcentia, ferarum more ſæuire, & debacchari, plurimos ſuperbia, & animi elatione tumeſcere, alternatimq; iræ, aut cupiditatis turbidis motibus ferueſcere, & in ſuam perniciem ruere haudraro conſpicias: Neq; pauci ſunt, qui à talibus, aut ab aliquo eorum abhorreſcant. Deũ immortalem tantæ huius varietatis, quæ cauſſa? quæ ratio? vnde origo? ab ipſa nempe natura, quæ vnumquemque ad id inclinat, & appellit, ad quod natum aptum intelligit; eique repugnare arduum eſt. Verum cur nobis hæc tam ex alto ſunt repetita? quò me rapuit dicendi ardor? Quorſum Natura ad ſuam uim enarrandam, & deprædicãdam traxit? colligam, colligã me (Aud.) & ad alia conferã, vt finẽ citius inueniam. Sed amabo Vos animum aduertite, & veſtro ſingulari iudicio, doctrina, & prudentia ſingula perpendite, ac poſtremo iudices ſuntote, quàm egregie antedicta ſequentibus, ſequentia antedictis, omni ex parte conueniant, & reſpondeant. Siquidem ego, Dei Opt. Max. beneficio in lucem editus, humani (vt ille ait) nihil à me alienum putans, ad intelligendum pariter, & agẽdum natus, cum primum per ætatem ſapere cæpi, omnem adhibui curam, vt meum probe ingenium noſcerẽ ne quid inuita (vt eſt in Adagio) Minerua, tentarem; eoque

potiſsimum ſequerer, quò meapte natura ferrer. Quamobrem benigna mater natura, non me artes contemptibiles, viles, vulgares, ſordidas, ludicras quæ decorum, & honeſtum neſciunt, ſectari voluit; ſed eas, è quibus fulgor tantummodo, & ſpecimen emicat virtutis. Quæ vna virtus ſimel à nobis parta nec eripi, nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum viciſsitudine, aut iniuria mutatur, vnàque nobiſcum emoritur. Virtus poſſeſſores ſuis contentos, nullius rei egenos, aut alieni appetẽtes facit. Per eã ad vtranque fortunã munimur, & quæ ſunt hominum iudicio ampliſsima comparamus, laudem, honorem, gloriam, fœlicitatem, immortalitatem. Porrò ijs artibus, quas primo loco recenſui, vtilitatem ſolum, quæſtum, lucrum, emolumentum, pernicioſamq; voluptatem propoſitam eſſe quis dubitet? Quoniam qui ſe illis addicunt, pecuniam vndecunque abradunt, de theſauris, opibuſque adaugendis, nunquam non cogitant, paruo negocio corrumpuntur mollicie, effœminantur voluptate, quæ virtutis neruos elidit, & ad honeſtas functiones, & actiones quodammodo langueſcunt. Quis autem mentis compos arbitretur iſtos imitandos, & hominum commercio dignos? quippe qui nihil curant, quid de ſe loquantur minores ab hinc ſexcentos annos, immo quo tumulo ipſorum cadauera inferuntur, & humantur, eodem illorum nomen, & famam ſempiterna obruit obliuio. Verum, quod veſtrum neminem latet, cum ſint numero ſeptem liberales artes, quarũ tres de ſermone tractant, Gramatica, Rethorica, Dialectica: de quantitate quatuor, Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia: æque omnes per ſe honeſtæ, vtiles, deſiderabiles, quæque ad ſui cognitionem ſingulæ allicerent, & inflammarent; nihiloſecius tres tantum primas auide, vt potui, & ſtudioſe ſum amplexus, non conſilio, & animo in illis ſemper inſiſtendi, ſed vt ad ſacratiſsimas leges, ad quas tandem, tanquam ad meorum ſtudiorum portum, procul reſpiciebam, tantum afferrem, quantum ſatis eſſet. Quare, cum

re, cum in patria ideſt. Campli, quod Oppidum, inter Samnites, haud ignobile eſt, prima iuuentutis Tyrocinia feciſſem, Romæ poſtea, Deo bene iuuante, eloquentiæ, & quæ huic finitima eſt, Poetica, & græcis litteris operam nauaui, ſub Clariſ. Viris M. Antonio Mureto, Thoma Correa, & Ioanne Baptiſta Gabio, Quid vero in his profecerim, aliorum ſit iudicium: Enim vero difficillime de nobis iudicare, & ſentire ſalua verecundia, & ſine multorum inuidia poſſumus. At quia infœliciſſimos, & miſerrimos eos exiſtimo, quibus nihil eſt, in quo merito gloriari queant; intrepide, & audacter dicere auſim, nos tot paginas voluiſſe, tot volumina, tot libellos lectitando contriuiſſe: vt ſi minus in politioribus Muſis id, quod optabamus, ſumus aſſecuti, voluntatem ſaltē cū induſtria, & vigilantia coniunctā nobis non defuiſſe certo ſcio. Bononiam poſtremo Pontificij, Cæſareique Iuris facultati operam daturus, pridē cōmigraui, quod quàm mihi iucundum, & optatum acciderit, non dici poſſet, quoniam apud Hiſtoricos legeram, itemque ex multis abſens audiueram, vna omnium voce, Bononiam cœli ſalubritate, ſitus venuſtate, loci fœcunditate, ſoli amœnitate, agri fertilitate, & feracitate tantopere commendari, & miris laudibus prope ad aſtra ferri. Omitto nunc vrbis antiquitatem, qua Romam ipſam Mundi caput, & rerum dominam, centum amplius annis, ſuperare, apud Manethonem legitur. Omitto etiam referre, quòd Bononia genuit, educauit, atq; eduxit Honorium ij. Lutium ij. & nuperrime Greg. XIII. Pontifices Maximos, quibus totius Chriſtianæ Reip. procuratio cœlitus demandata, & gubernacula commiſſa ſunt. Relinquo tot S. R. E. Cardinales, qui inculpatiſſimis moribus, vita honeſtate, & ſanctimonia, doctrina, litteris, quamplurimis pro Eccleſia Catholica ſuſceptis laboribus, in legationibus, varijſq; muneribus honorifice obeundis, ad omnē perpetuitatē, & æternitatem ſeipſos, & ſuum nomen adiunxerunt. Tot ſanctiſſimos Epiſcopos, ſapientiſſimos Antiſtites, vigillantiſſimos Pa-

ſtores reticeo. Tot ſtrenuos milites, tot pedeſtrium, & equeſtrium turmarum fortiſsimos ductores, tot belli generoſos duces, tot militum praſtantiſsimos tribunos, tot caſtrorum clariſsimos præfectos ſilentio quoque in uoluo; qui, & in patria turbulentiſsimis Italiæ temporibus, & foris etiam quid conſilio, quid manu poſſent, crebertime, apertiſsime & glorioſiſsime demonſtrarunt. O fœlicem, ò fauſtum, ò hilarem, ò mihi ſolennem illum diem, qui me Bononiam adduxit. Bononia ſtudiorum alma parens, Bononia docens, Bononia humanitatis hoſpitium, virtutum omnium ſeminarium, ſiſte gradum, huc ades, tecum aliquantiſper confabulari, & ratiocinari lubet. Eia age dic mihi, quid, aut quantum diſcriminis inter te, & antiquas illas Athenas intercedit? Quid ſiles? cur non reſpondes? quid formoſas ingenuo pudore genas perfundis? quare meis precibus verecunda obmuteſcis? Nihil, nihil, (Aud.) inter Bononiam, & Athenas diſtat, immo Bononia, longo poſt ſe interuallo victas Athenas relinquit. Etenim ſi olim Athenas vndique ad diſcendum ſtudioſi Adoleſcentes confluebant, Bononiam quoque, ex toto Chriſtiano orbe, ad capeſſendas ingenuas artes, & liberaleis diſciplinas confluunt. Fuerunt Athenæ in tota Græcia ſtudijs inclytæ, & illuſtres, & Bononia, abſque controuerſia, in tota Europa principem locũ obtinet. Tulerũt Athenæ præclariſsimos in omni ſcientia & doctrina profeſſores, tulit quoq; Bononia, & nunc etiam fert, viros omni ferme virtutum genere præditos. Ex hoc. n. Archigymnaſio, ceu ex Equo Troiano, prodiere clariſs. illa Culmina, Lumina, & Numina Vtriuſque Iuriſconſultorum, Accurſij; Azones, Bartoli, LIGNANI, Barbatij, Salyceti, Calderini, Bolognetti, Gozadini, Grati Marſilij, Ruini, Beroij, innumerabileſque alij, vniuerſæ philoſophiæ, & Theologiæ celeberrimi, & eminentiſsimi interpretes, quorum illuſtria ſcripta, cunctis ſeculis victura extant, quoſque ſi nominatim appellarem, perinde eſſet, ac ſi cœli ſydera, aut pelagi arenas dinumerarem. Et nimirum

Lon-

Longum eſſet (Aud.) ſi Bononiæ laudes percurrerem, & detererem. Nam ſi de illius nobilitate, dignitate, & ſplendore integram hanc lucem verba facerem; ne minimam quidem partem viderer attigiſſe. Nunc eò devenio, vt paucula quædam ex penitiſſimis græcorum eruta, & latinorum fontibus hauſta, de legibus expediam, quæ ego non fuſius, ſed quam breuiſsime tractabo, & ad ea digitum (quod aiunt) tantum intendam. Proinde, vt ex Platonis oraculo incipiam. Lex eſt gubernandi ratio, formulàque vera finem ad optimum, per commoda media, nos perducens, tranſgredienti pœnam, parenti præmium præfigens. Hactenus Plato de Rep. idem in eo libro, quem de legibus inſcripſit, fatetur, legem ſine diuino lumine conſtitui non poſſe, cui Cicero in primo de legibus, & in ſecunda Philippica fere ÿſdem verbis, plane ſubſcribit inquiens. Lex nihil aliud eſt niſi recta, & à numine deorum tracta ratio, imperans honeſta; prohibenſque contraria. Idem in orat. pro Cluent. pulcherrimo eiuſmodi encomio legem extollit. Lex eſt vinculum ciuitatis, fundamentũ libertatis æquitatis fons, mens, animus, cõſiliũ, ſententia: vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege eſſe non poteſt. Pindarus lyricorum omnium Coriphæus hanc legis diffinitionem tradit. Lex eſt Deorum, hominumque regina, legis finis Iuſtitia, lex principis opus, Princeps Dei vniuerſa exornantis vicem gerens. habetur etiam Cod. de præſcript. & 16. quæſt. 3. leges per ora principum diuinitus fuiſſe promulgatas. Salomon in prou. diuino afflatu ait. per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.

Et quamquam ex his ſole clarior ſplendeſcit veritas, à Deo leges emanaſſe; reuocate quæſo tamen uobis in mentem, (Aud) Moyſen Iudeorum ducem vere de manu dei legem accepiſſe, lapideis tabulis inciſam: quem poſtea imitati ſunt mundani legislatores, & ob eam cauſſam ſibi à falſis quibuſdam Dÿs leges renunciatas fuiſſe teſtati ſunt. vti Zoroaſter Bactrianorum, & Perſarumque legislator ab Oromaſi. Triſ-

megiſtus

megiſtus Ægyptiorum à Mercurio. Charondas Chartaginenſium à ſaturno. Draco, & Solon Athenienſium à Minerua. Plato Magneſiorum, & ſiculorum à Ioue, & Apolline. Minos Cretenſium pariter à Ioue. Inſuper Numa Pompilius à Romulo ſecundus Romanorum rex (atteſtanteq́ Plutarcho) pacatis finitimorum odijs, extructo bifrontis Iani templo, belli, paciſque iudice, inſtitutis ſacris, creatis ſacerdotibus, veſtæ virginibus dicatis, diebus faſtis, nefaſtiſque præfixis, conditis tot iuſtiſsimis, & ſanctiſsimis legibus; ſe, de his cum Ægeria Nympha colloquium habuiſſe, & eius præſcripto omnia feciſſe affirmauit. Igitur ſibilis, & cachinnis explodenda eſt illorum nefaria, ſtulta, & ridicula opinio, qui leges, non Dei inuenta, ſed paucorum hominum placita eſſe iudicant, vel aduerſus æquitatem, per potentiam ſubditorum ceruicibus impoſita, & quadam propria ciuitatum inſtituta, ad propriam ciuitatum, & ferentium vtilitatem excogitata, quæ in varias etiam ſententias diſtorqueri poſſent. Reliquum eſt Auditores, vt ſtationem ingrediar ac, vela complicem; & ab id non dicam, qui fructus, quæ vtilitates, quæ adiumenta, quæ commoda, quæ ornamenta ad bene, beateque viuendum, humano generi à legibus proueniant; quæ ſi non eſſent, nulla domus tuta, nulla reſpublica, nullum dominium, nullum imperium diutius perduraret. ſine legibus homines in brutum aliquod animal abirent, ſeipſos, & Deum ignorarent. nullibi manſuetudinis, humanitatis, veritatis, ſiue fidei veſtigium appareret. Quid quod abſque legibus, vis, iniuria, immanitas, fraus, dolus, formido, ſuſpicio, periculum, ſeruitus, tyrannis, interitus paſſim regnarent, & graſſarentur? æquitas, verecundia, lenitas, ſynceritas fidelitas, hilaritas, tranquillitas, ſecuritas, libertas, moderatio, ſalus vbique iacerent, & emorerentur. pudicitiam libido, honeſtatem turpitudo, vitium virtutem anteiret. ſine legibus inter homines amicitia, ſocietates, commercia dirimerentur, diſſoluerentur, & extinguerentur: humana, diuinaque omnia perturba-

turba-

turbarentur, funditus euerterentur, & peſſum irent. Qui vero leges profitentur, ideſt veræ, & non ſimulatæ philoſophiæ inuigilant, Iuriſprudentes, & iure optimo, ſapientes nominantur. dumque flagitioſis ſupplicia, boniſque præmia, promeritis, tribuunt, & ſingulos ad virtutis, iuſtitiæque amorem prouocant, ipſi deo quam ſimillimi efficiuntur. DIXI.

LAVS DEO.

295